

auctoritas interdixit. « Nulla, inquit S. Cyprianus (1), cum talibus commercia copulentur, nulla convivia, vel colloquia misceantur; simusque ab eis tam separati, quam sunt illi de Ecclesia profugi. » Et S. Leo (2): « Viperea, inquit, hæreticorum vitate colloquia, nihil nobis commune sit cum eis, qui Catholicæ adyersantes fidei, solo sunt nomine Christiani. » Beatus quoque Athanasius in vita Magni Antonii: « Sic, inquit, hæreticos detestabatur Antonius, ut omnibus diceret, nec juxta eos quidem esse accedendum. » Quid, quod Apostolus Paulus tam sepe, et tam serio, de hæreticis loquens, illud inculcat: *Et hos devita?* Et S. Joannes Apostolus, et Evangelista, ut contra Valentinum auctor est Irenæus, (3) cum balneum aliquando esset ingressus, mox, ut Cerinthum hæreticum intus esse cognovit, de balneo exilivit non lotus; nimirum exemplo suo posteros omnes admonere volens, hæresim morbum esse contagiosum, totisque viribus, et summa animi provisione cavendum.

Intellexit hoc sane quondam, Ariana peste grassante, Ecclesia Samosatenensis; nam ut est apud Theodoretum (4) cum esset in ea civitate populus Catholicus, et Episcopus hæreticus, concionabatur Episcopus in Ecclesia, sed scamnis, et parietibus; omnes enim eum ut peste laborantem fugiebant. Ibat Episcopus ab balnea, et alios qui forte aderant, ut secum lavarent, comiter invitabat: at nemo unquam ipso presente locum introivit; nemo etiam postea, nisi prius aqua omni ejecta, et nova rursus adducta, lavit: ludebant aliquando pueri in foro, contigit vero, ut lusoria pila pedem contingeret jumenti, quo Episcopus vehebatur, continuo exclamant omnes, et magno, in ipso foro, accenso igne, in eum pilam conjiciunt.

Talis erat veterum Christianorum zelus, talis pro pietate contentio, talis fidei Catholicæ ardor, quem si Germania, si Bohemia, si Anglia, si Gallia, si populi cæteri imitari voluissent, aliam profecto Rempublicam haberemus, si ad hæresim arcendam ea saltem diligentia initio adhibita fuisset, quam ad pestem excludendam ubique adhiberi videmus: multa certe Ecclesiæ membra, quorum jam prope est desperata salus, adhuc integra et incorrupta manerent. Sed quando, peccatis nostris exigentibus, pestis hæreseos tam vehementer crevit, et creseit in dies, et res nostræ in tam magnum atque apertum discrimen adductæ sunt, ut non nisi longo tempore, et multis multorum laboribus et sudoribus, tantis malis remedium adferri possit: hoc unum superest, ut Ecclesiæ filii, atque ii præ-

(1) In Epist. III, Lib. I. — (2) Sermone de Passione Dom. 18. — (3) Lib. III, Cap. 3. — (4) Hist. Lib. IV, Cap. 14.

sertim, qui ad alios juvandos a Domino vocati sunt, ad resistendum hæreticis diligenter se parent. Quod ita fiet, sit in iis cognoscendis, quæ tum illi contra Ecclesiam adferunt, tum pro Ecclesia nostri respondent, satis magnam curam operamque ponant: quorum studiis hos nostros qualescumque labores, aliquid etiam prodesse vehementer optamus, et profuturos Domino adjuvante confidimus. Atque hæc sunt quæ de utilitate nostrarum disputationum dicenda esse putavimus.

Nunc paucis exponam, quæ sint, et quot eæ controversiæ, quas explicaturi sumus. Humani generis hostis etsi totus alioqui perversus et ordinis perturbator esse solet, tamen non sine quodam ordine Catholicæ Ecclesiæ veritatem oppugnare voluit. Itaque primis CC annis ab Ecclesiæ Christianæ exortu, totus fuit in ipso primo articulo Apostolici Symboli labefactando occupatus. Quid enim aliud volebant Simoniani, Mandriani, Basilidiani, Valentinistæ, Marcionistæ, Manichæi, et universa schola Gnosticorum, quam non esse unum Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cæli et terræ? Ubi vero id non successit, rursus tempore consequente post annum Domini CC, nova Castra Diabolus instruxit, et articulum secundum, quo Christi Domini nostri divinitas explicatur, exagitare aggressus est. Inde enim Praxeas, Noetus ac Sabellius, necnon Paulus Samosatenus.

Post annum vero CCC, Photinus, Arius et Eunomius extiterunt: qui vel Christi divinam personam a Patris persona non distinguebant, atque eam proinde, ut Hilarius loquitur, perimebant; vel divinam ejus naturam diversam atque alienam a Patris natura faciebant, et ea ratione non vere divinam, sed creatam esse disputabant. At cum ne tunc quidem adversus Ecclesiam portæ inferi prævalere potuissent, tertio Diabolus, novo delectu habito, articulum tertium et simul quartum, quintum, sextum, et septimum, quoniam inter se connexionem quandam et quasi cognationem habent, majori conatu et viribus oppugnare instituit.

Itaque Nestorium excitavit ac Theodorum Mopsuestenum, post annum CCCC. Deinde paulo post, Eutychem, et Dioscorum: circa vero annum quingentesimum, Petrum Gnapheum, Severum Antiochenum, Julium Halicarnasseum: post annum autem DC et DCC, Jacobum Syrum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, ac Paulum Constantinopolitanos: denique omnem illam innumerabilem Eutychetis in minutissimas sectas varie concisam ac dissectam posteritatem, cujus adhuc hodie germina in Oriente reperiuntur.

Isti siquidem omnes, diversis quidem, atque inter se contrariis artibus, et machinis; sed tamen unum, et idem divinæ Incarnationis mysterium,

necnon passionis, resurrectionis, atque adventus ad iudicium, id est, quinque sequentes Symboli Apostolici partes destruere atque evertere studuerunt. Priores enim, duas in Christo personas constituentes, divinam unam, humanam alteram, et Christum Deum ab homine Christo separantes, solum hominem, non etiam Deum esse volebant eum, qui conceptus de Spiritu Sancto, natus de Maria Virgine, passus, mortuus, et sepultus, ac deinde redivivus in cælum ascendisse, et rursus ad iudicandum orbem terrarum reversurus, ab Ecclesia Catholica prædicatur. Posteriores autem, naturas ipsas divinam et humanam in Christo permiscentes, et unam conflantes ex duabus, mysteria salutis nostræ, incarnationem, passionem, resurrectionem, ascensionem, adventum ad iudicium, ficta et simulata esse docebant.

Sed posteaquam de his etiam copiis Ecclesia Catholica more solito triumphavit, non propterea deterritus Diabolus est, sed rursus exercitum reparavit, et articulum sequentem, id est, octavum, qui est Spiritu Sancto, magno impetu labefactare adorsus est. Nam circa annum Domini DCCC, LX temporibus Nicolai primi Romani Pontificis exortum est (ut ego quidem arbitror, quamvis alii aliter sentiant) schisma Græcorum, ab Apostolica Sede, et Ecclesiis Occidentis: cujus quidem schismatis fundamentum est error ille Græcorum in tot Conciliis confutatus, quo Spiritum Sanctum a Filio non procedere, pertinacissime contendunt. Tametsi enim multo ante Macedonius Spiritum Sanctum Deum esse, et Theodoretus eundem Spiritum Sanctum a Filio procedere negavit: adeo tamen eo tempore in ipsa Christi vera Divinitate, atque humanitate oppugnanda Satanas occupabatur, ut articulum fidei, qui ad Spiritum Sanctum pertinet, ac potissimum eam partem, quæ de processione est a Patre, et Filio, non nisi leviter tentasse.

Verumenimvero, cum versutissimus hostis noster animadverteret, parum se in articulis illis convellendis proficere, qui ad ipsas divinas personas pertinerent, totum se ad eos commovendos, et destruendos convertit, qui ad Ecclesiam, et Sacramenta pertinent. Hos duos articulos; Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, Remissionem peccatorum, ab anno millesimo usque ad hanc diem, sæpius mutatis, auctis, renovatis exercitiis, per Berengarianos, Petrobrusianos, Waldenses, Albigenes, Wiclefistas, Hussitas, Lutheranos, Zwinglianos, Confessionistas, et Anabaptistas, omni arte, atque industria et omnibus totius inferni viribus evertere conatus est, et adhuc hodie conatur.

Illud autem mirabile et animadversione dignum mihi videri solet, quod Berengarius tanquam auctor et parens hæreticorum hujus temporis, tribus

suis erroribus fundamenta jecerit trium præcipuarum sectarum, ad quas hoc tempore cæteræ omnes revocari possunt; Sacramentorum videlicet, Confessionistarum, Anabaptistarum. Primus enim Berengarii error fuit, non esse in Eucharistia verum Christi corpus, sed tantum ea significari. Hunc errorem tanquam suum et proprium Sacramentarii receperunt. Alter ejusdem fuit error, quem post secundam palinodiam excogitavit, esse quidem in Eucharistia verum Christi corpus, sed una cum substantia panis, atque hunc suum fecit Confessio Augustana, et in eo Confessionistæ omnes perseverant. Tertius ejusdem Berengarii error fuit, parvulos non esse baptizandos, nec Matrimonia colenda, cum omnes feminae omnibus masculis sint communes, ut Guitmundus libro I contra Berengarium auctor est, ista vero ipsissima est Anabaptistarum fides et doctrina.

Cum igitur hæreses hujus temporis proprie circa hos duos articulos Symboli Apostolici nonum, et decimum fere omnes versentur, nos etiam controversias omnes ad eosdem duos articulos referemus. Initio igitur de Sancta Ecclesia disseremus: in qua disputatione agendum erit primum de ipso Christo, qui caput est, et Princeps Ecclesiæ universæ: deinde de parte Ecclesiæ, quæ laborat in terris, nec non de capite ejus visibili Summo Pontifice, deque omnibus ejus membris, id est, Clericis, Monachis, Laicis: tum de altera parte Ecclesiæ, quæ in locis Purgatorii expiatur: postremo de illa, quæ jam cum Christo beata in Cœlis triumphat, ubi de cultu, et invocatione Sanctorum, de reliquiis, et imaginibus, aliisque similibus rebus disputabitur. Quibus expeditis ad Sanctorum communionem, id est, ad Sacramentorum tractationem accedemus, ubi tot erunt capita controversiarum, quo sunt Sacramenta.

Nam quidquid fere Theologi de Sacramentis affirmant, id totum hæretici hujus temporis negant. Sequitur postremo, remissio peccatorum, ad quam illæ quæstiones omnes pertinebunt, quæ sunt de gratia hominis, de gratiæ amissione, de vulneribus ex peccato relictis, de gratiæ reparatione, de libero arbitrio, de justificatione, de meritis operum bonorum.

Porro his omnibus quæstionibus præmittenda erit, quasi magnum quoddam proœmium controversia de verbo Dei. Neque enim disputari potest, nisi prius in aliquo communi principio cum adversariis conveniamus: convenit autem inter nos, et omnes omnino hæreticos, verbum Dei esse regulam fidei; ex qua de dogmatibus judicandum sit: esse commune principium ab omnibus concessum, unde argumenta ducantur: denique esse gladium spiritualem, qui in hoc certamine recusari non possit. Tamen de

isto ipso communi principio multe quæstiones sunt. Alii : enim verbum Dei solum internum recipiunt; alii externum, sed scriptum; alii partim scriptum, partim voce traditum. Rursum alii hos libros, alii illos pro verbo Dei habent; alii hac editione, alii illa utendum censent: alii Scripturam clarissimam esse per se, alii obscuram, et interprete indigere contendunt: denique alii sensum Scripturarum a Spiritu interno revelante, alii ab Ecclesia, ejusque Summo Pastore petendum docent; quæ omnes quæstiones initio exponi debent, ut habeamus aliquid, unde de cæteris statuamus; sed hæc omnia index totius Operis plenius explicabit.

INDEX

TOTIUS OPERIS

CONTROVERSIAE GENERALES (1)

- I. De Verbo Dei scripto et non scripto.
- II. De Christo capite totius Ecclesiæ.
- III. De Summo Pontifice capite militantis Ecclesiæ.
- IV. De Ecclesia militante, tum in Concilis congregata, tum sparsa toto orbe terrarum.
- V. De Membris Ecclesiæ militantis, Clericis, Monachis, Laicis.
- VI. De Ecclesia quæ est in Purgatorio.
- VII. De Ecclesia quæ triumphat in Cœlis.
- VIII. De Sacramentis in genere.
- IX. De Baptismo, et Confirmatione.
- X. De Eucharistia, et Sacrificio Missæ.

(1) Unaquæque generalis controversia pluribus explicit libris, et unusquisque liber, rerum ordinem, concatenationemque dogmatum clarius evolvit. Hæc materiarum distributio tomorum tabulis explicabitur.

- XI. De Pœnitentia.
- XII. De Sacramentis cœteris.
- XIII. De Gratia primi hominis, et statu innocentia.
- XIV. De Gratiaë amissione, et statu peccati.
- XV. De Gratiaë reparatione, et statu justificatorum per Christum.

PRIMA CONTROVERSIA GENERALIS

DE VERBO DEI

QUATUOR LIBRIS EXPLICATA